

Y b
1738



Y b
1738

ORATIO
FACTA

IN SOLENNEM
RESTAVRATÆ
SCHOLAE GOTTHA-
næ inaugurationem:

DE EIVSDEM

CVM ORIGINE, PRO-
GRESSV, CONSERVATIONE ET
innouatione: tum verò inprimis RECTORIBVS
atq; præclaris viris, qui ex ea intra annos LXX.
quamplurimi prodierunt:

A

M. ANDREA VVILCKIO,
Reçtore, III. Non. IXbrium, Anno
Christi M. D. XCV.



Excusa Smalcaldiæ,

1 5 9 6.

2

ORATIO
 FACTA
 IN SOLENNEM
 R. F. S. T. A. V. R. A. T. I. O.
 SCHOLAE GOTTICAE
 DE THEOLOGIA
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.
 DE V. O. S. T. A. T. I. O.



76

OPT. ET HONESTISSI-
MIS IUVENIBVS ET ADO-
lescentibus, Andreae Sommero, Iohan. Li-
boni, Tobiae Flamminio, Georgio Calmbergio, Christo-
phoro VVolframo, Bonauenturae Cottae, Iohanni
Langenhan, Michaëli Moller, Iohanni
Beringer, Gotthanis:

&

LAVRENTIO, CLARISS. ET
MAGNIF. VIRI ACACII HVLSII, CAE-
sar. Maiest. Consil. & Cancellarij Coburgensis, filio: Bal-
thasari à Grunenberg, The. Ludouico Goldaccero, nobi-
libus: Philippo, D. Timoth. Kirchneri: Ortholpho, Cas-
spari Herrnschuageri Superinten. Smalcald. Erasmo,
Erasmi Hofmanni, Secretarij Comitum à Gleis-
chen, filijs, suis Discipulis, & com-
menalibus dilectis,
S. P. D.

DVÆ IN PRIMIS CAUSSÆ
sunt, Iuvenes & Adolescentes, quibus
hanc orationem, volo publici iuris esse.
Primò, cum alia plura hodie Cœnobia sunt, quæ
expulsis Pontificiorum tenebris, facta Lutherana
pietatis domicilia fuerunt, quorum origo putatur
non sine periculo ignorari: tum verò præcipuè hu-

A 2

ius

25
ius nostri Augustiniani. Quia enim pleraque Ma-
iorum nostrorum liberalitate non tantum condita
fuisse, verum eorundem etiam ad Sacros usus
perpetuo deuotis redivitibus conservata, hodie quam-
plurimi Magistratus nescire volunt: fieri solet,
ut qui à Sacris illos ad profanos usus rapiunt, atque
Ecclesias & Scholas suis redivitibus spoliant, ha-
runt ministros ad gemitus, ad suspiria opprimunt,
à se non magnopere peccari existiment, secus, quam
Q. Fulvius olim, & Thrax Imperator. Nam,
quod ille tegulas marmoreas Romæ ex æde Iuno-
nis Lacina ad usus profanos transtulisset, mente
numquam constitit: Hic vero quod bonarum ar-
tium dandas professoribus annonas abstulisset, at-
que ob id frigentibus passim per opida Scholis ru-
sticitatem & barbariem inhabitantes occupare
sensisset, easdem duplo recompensavit. Ideoque hic
dedi operam sedulo, ut Augustiniani nostri vera
Origo ab anno quadringentesimo usque ex antiquis-
simis monumentis & literis derivaretur: sperans
fore, ut cognita Maiorum nostrorum in rediviti-
bus ad res sacras decernendis, pietate, illi & dein-
ceps in huius scholæ conservationem impenderen-
tur,

tur, sicuti haecenus ab illustriss. Electoribus, PP. Saxoniae, & Senatu nostro clarissimo fuit, non sine laude & gloria, per annos Lxx. factum.

Deinde, ut erga vos mei, & Scholam, hanc atq; disciplinam, amoris & fidelitatis argumentum aliquod publicè omnibus exhibeam, ut, quod futurum audio, si forsàn Democritus aliquis, & nescio quod BIFORme MONstrum non tam in huius, quàm omnium Christianarum Scholarum & Academiarum nonnullarum maculam nescio quas cartas sub auras parturiret, viri boni videant, quis erga huius Scholae salutem tam voce quàm calamo esse percipiam. Ipse enim novi, vos iubeo considerare, Discipuli, quid docendi munus, quo Tullio teste nullum praclarius, pro felicitate vestra me quotidie velit cum publicè tum privatim subire, adeò ut iure possim ex Homerici Phœnicis ad Achillem discipulum facta oratione versiculo isto uti:

— ἐφ' (ὕμῃν) μάλα πόλλ' ἐπαθόν, καὶ πόλλ' ἐμόγησα.

P. Mirandulam accepimus eruditorum, hominum consensu non tantum ob aeterna ingenii di-

A 3 uini



55
uini monumenta, sed labores & vigilias etiam,
quibus prodesse iuuentuti studuit cognomentum
Phœnicis illius adeptum fuisse, & haud immeri-
tò quidem. Quid enim magnus ille sui seculi Var-
ro non in litteras modò, sed iuuentutem omnino
laborum & vigiliarum contulerit, vel isthac etas
etiam experitur, & grata agnoscit. Quanquam
autem de sua sibi iuuentute nec quisquam alius,
nec de mea ego mihi possim tantum polliceri: alio-
rum enim crediderim, meorum scio, aut nullam
cum illius laborum & vigiliarum esse, aut exigu-
am comparationem: Tamen hoc mihi, &, creda
cuius bono, sufficit, quantam in quouis est, labo-
res in Dei gloriam & salutem iuuentutis exan-
clare: ut inter nos erga Dei nomen ardor & vi-
geat, & sint, qui maiorum suorum & patrum ve-
stigiis insistentes, societati humanae olim prodesse
quamplurimum possint. Quod ut facere, Iuue-
nes & Adolescentes, queatis, vos CIVES qui-
dem, qui Ciuium, & HOSPITES, qui hospi-
tum præclarissima exempla ex hac Schola habetis,
atq; maiores, parentes & antecessores vestros imi-
tari, agite hanc orationem æquis animis suscipite,
labo-

laborum nostrorum, & erga vos fidelitatis argu-
 mentum qualecumq;, & quos quotidie emulari
 vos velim, exinde quamplurimos accipite. Quod
 si feceritis, ut navis, quæ inter fluctus, quò diriga-
 tur, clavum habet: sic inter varias turbationes
 vos, quo studia vestra referatis, omnino habebitis.
 Valete. Dabantur Gotthæ prid. Calend. Febr.
 Anno M. D. XCVI.

P. V. V.

M. Andreas Vuilkius R.



DES.

85



DES. ERASMV'S ROTE-
rodamus, in iudicio de
Seneca:

Simplex ac naturale dicendi
genus omnibus antefertur, vel
hoc nomine, quod fide commē-
datur. Quid enim est oratio cul-
ta sine Fide, nisi cantio pro-
bè modulata?



INAV-



INAUGVRATIO

RESTAVRATÆ SCHOLÆ

GOTTHANÆ.

79



Vod felix faustumq; sit, Deo Opt. Max. gratum & acceptum, illustrissimis PP. & nutritijs nostris clementissimis magnificum & generosum, Magistratui Senatuiq; nostro laudabile, vtile scholasticæ iuventuti, nobis deniq; omnibus salutare & fortunatum, in hac tertia Nonarum IXbrium auspiciatissima, & solempni EXAMINIS nostri festiuitate ad instaurata tandem aliquando, & potestatis nostræ munificentia, atq; liberalitate renouata SCHOLÆ huius auditoria, CHRISTO Duce & Auspice, initianda, inaugurandaq; progresso mihi in hunc amplissimum confessum vestrum, præstantissime prouinciæ Gotthanæ Præfecte, & Præses, ceteri item reuerendi, clarissimi, prudentissimiq; viri, Domine Superintendens, Magistri, Philosoph. & Med. D. præstantissime, Cofs. Senatores, collega, & quotquot ciues adestis, atq; hospites ornatissimi, optimi deniq; adulescentes, progresso, inquam, mihi duo omnino sese Spiritus sancti auxilio obijciunt dicenda. Nam ab hinc cum ante sex Menses, ad VII. Idus Maias, illustris, Princeps noster IOHANNES FRIDERICVS, tandem victor, de Hostibus suis secundum propitium Numinis diuini fauorem gloriosissimè triumphârit, atq; ex diuturno captiuitatis ergastulo in sempiternam libertatem, ex ignominia in gloriam, ex caducis in immortalia vindicatus, ad quod natus erat, verè ELECTORVM decus, & Maiestatem sibi in vita æterna recuperârit, pietatis in eum nostræ erat, vota concipere & nuncupare, subiectionis parentare, commiserationis, tot tantoq; tempore exanclatis miserijs piè defun-

B

ctum

27.
tum lugere. Quamto enim certius est Principes & Magi-
stratus diuinitus dari, tanto potius sunt omnium seculorum
historijs & exemplis lugendi. Verum oratione funebrem
de hac Exedra nunc primum habere, ne omni & nobis esse
se, & augurio toti Reipublicae videatur, vltimum hoc, quic-
quid est, & a me quidem proficisci potest, pietatis officium
sanctissimae illius animae rebus humanis exemptae persoluen-
dum, in diem hac tota prouincia illustrissimis eius exequijs
ducendum repono, solemnem noui huius auditorij, & re-
liquorum inaugurationem dedicationemque aggressurus. Si
namque P. C. ἐγκαινία τιμᾶδι παλαιὸς νόμος, καὶ καλῶς ἔχωρ, vt
Gregorius Nazianzenus, vel vt Pausanias refert, si Antis-
pater Milesius ex Ionibus statuam primus in Olympijs, in
Campo Dura Nabuchodonosor auream dedicauerunt: si Salo-
mon integris diebus septem Encania, & Machabeus suba-
cto Antiocho solemnia habuerunt, Templum Domino
consecrando, innouandoque: si haec pia consuetudo, Euse-
bio auctore, sub Constantino Imperatore non inualuit mo-
do in Christianorum Ecclesias, sed etiamnum LUTHERI
quoque auctoritate retinetur: dubitari profecto non potest,
quin pium sit & laudabile, conceptis certa oratione verbis
scholae huius recuperatae laudes, non quod sedis huius fun-
datores ante ab hinc annos ferme quadringentos factita-
runt, D. Augustino deuouere, sed summo illi & maximo
Gymnasiarchae Christo nuncupare. Hic enim reuera πει-
τάλωθε ille Magister est, πατήρ ὡς ἔπιθε, qui ad se iubet
pueros venire, quibus ceu Doctoribus gentium & popu-
lorum futuris Antesignanus ipse, & dux instar nectaris in-
stillat sacrosanctam sui Euangelij doctrinam, in scholis &
Ecclesijs, per vniuersum terrarum orbem longe lateque pro-
pagandam: cui in ruderibus vix pendentis haecenus scho-
lae nostrae, sine clade tamen suffultae, beneficium est & soli
& vni acceptum referendum, cuius immensae gratiae tan-
tum

08
vt ex eorum innumerabili copia paucos seligam, quos scio
& notos vobis esse & dignos in hoc amplissimo loco nomi-
nari. Arduum hoc mihi intelligo, Auditores, & tantò dif-
ficilius futurum, quando est ab hominum memoria & remo-
tius, & minus monumentorum, quibus vel ex Archiuis
nostris productis, vel acceptis aliunde, possim ea, qua par-
est, inniti auctoritate. Thucydides, quem elocutione tota
grauem & breuem, densum sententijs, iudicijs sanum, ora-
tionibus & excursionibus penè diuinum I. Lipsius dicit, sui
seculi negligentiam fugamq; laboris priorum grauius ac-
cusat, quos ipse Ἀλαμπύρως fuisse in perscrutanda veritate
ait, Rectius seculi nostri oscitantia reprehendi, & quædam
Maiorum temeritas posset, qui quasi omnibus æquè foret,
atq; ipsis sui seculi explorata & nota historia, quasiq; etiam
posteritum præsentis essent, adeò nihil neq; de his rebus,
neq; de alijs quicquam extat literis monumentisq; manda-
tum. Si quæ verò sunt, ea nec explicata satis, nec distincta,
sed cum nominibus personæ tam variè confusæ, vt enuclea-
re illa nihil aliud esse videatur, quàm fluctus numerare. Ve-
rùm dicere meditantem de tantarum rerum difficultate, me
inprimis recreat & reficit, quod non Lugdunensem ad a-
ram mihi, sed apud vos dicendum est, C. P. quorum aucto-
ritate illorum omnium fides, tanquam vadimonio aliquo
indubitata esse iubetur, qui istas partim ætate vestra memi-
nistis, partim auditione à Maioribus acceptas recordamini.
Quapropter vt titubantes liberorum linguæ, atq; anxij in-
certiq; gressus parentibus placent, sic spero, ac confido po-
tius, fore, vt meum conatum, non omnis erroris expertem,
vos & probetis, & vestra sponte mihi res pulcerrimas breui
oratione comprehendere meditati non aures modò, sed
mentes quoq; attentas adhibeatis. Cuiusvis enim hominis
animus, dum verbis ad ipsas res quasi manu ducitur, & dum
non solum audit quæ dicenda, verum etiam quæ commemo-
randa sint, viderit, voluptate afficitur.

87

PRINCIPIO, Auditores, postquam à clemens-
tissimo decreto de genere humano per semen
mulieris redimendo, ne primi parentis depres-
sum lapsu, pessum totum ferretur, DEVS, po-
sitis inter CHRİstum & LESSatan eius inimicitijs, belloq̃
vtrinq̃ suscepto Euangelium suum, ex horto illo EDEN,
qui ἡδονῆς, & veræ voluptatis est, statuisset, in vniuersum
terrarum orbem deriuandum, factum sine mora & desubis-
tò est, vt Satath ille & abiuratus Apostata suas inimicitias
mille modis exereret & disseminaret. Reuera enim ὁ διωκῶν
μεν & διαβάλλειν, ἢ τὸς φίλους ἐχθρὸς ποιῆν, vt sic loqui mihi
cum nostro Philosopho liceat. Nam crescente hominum
multitudine, succrescebant & hæreses & schismata: adau-
cta illa & hæc adaugebantur, illa in omnes mundi plagas &
climata dispersa, dispergebantur & hæc, atq̃ in diuersa loca
diuersimodè, felicissimè tamen, dimanabant, adeò vt vno
atq̃ altero seculo vix exacto tot idola in orbe fuerint, quot
dies, ferè quot horæ erant in eodem elapsæ: Pro vt istius-
modi mali vis & natura fœcunda est, quod ceu pessimum
virus, sensim per arterias illapsum in præcordia, mox non
minore impetu, quàm damno longè lateq̃ fœuit. In Christi-
ano populo Adamiani erant, sic dicti, quod exemplo Ada-
mi nudî ac sine vllis vestibibus degerent, eoq̃ modo cum fœ-
minis conuersari, atq̃ etiam orare consueuerant, asserentes
illud ipsum in vita melius existimandum, quod ad naturam
propius accederet. Erant Sarabaitæ sacerdotes, qui in Aeg-
ypto positi in foraminibus Petrarum habitabant, induti
porcorum & boum pellibus, cincti funibus Palmarum, spi-
nas ad calcanea portantes ad cingulum ligatas, discalceati,
& sanguine cruentati. Cauernis egressi, ad festum Sceno-
phegia pergebant Hierosolymam, & sancta sanctorum in-
trantes, paupertatem & abstinentiam à se prædicabant ser-
uari. Tum barbam, spectante populo acriter peruellebant,

B 3

atq̃

atq; numis tali astu adeptis in suam regionem remeabant,
& in laticia atq; dapibus epulabantur. Erant Nyctiages, qui
vniuersam noctem somno & quieti concedebant, neq; ipso
noctis tempore euigilandum esse putabant, naturæ Geni-
um sic violari atq; corrumpi opinantes. Ethnorum verò
non Hæreses, sed abominationes, quem quæso vos Audis-
tores tam firmis lateribus esse existimatis, qui istis non dico
eloquendis, sed enumerandis non defatigetur, etiamsi ipse
Demosthenes esset, quem Plutarchus scribit, decem millib;
drachmarum à Neoptolemo histrione didicisse, vno
spiritu integras circuitiones efferre? P. Crinitus refert,
Hesiodum, qui Theologus Aristoteli, asserere triginta mil-
lia DEORUM suo tempore in orbe terrarum fuisse. Tertul-
lianus trecentos Ioues à M. Varrone ait dinumeratos, eosq;
quæ sine capitibus introductos. Cicero quot hominum lin-
guæ sint, tot nomina DEORUM esse adfirmat. Hinc pro
Dijs, Deabusq; & mures, & feles, & sol, & luna, & omnia
elementa habita, adeò vt DEORUM innumerabilium ple-
na omnia rectè Lactantius dixerit. Bæotis Amphiarum,
Afris Mopsim, Aegyptijs Osirin Macrobius, Origenes
Adamantius Aethiopibus Iouem & Bacchum, Arabibus
Vraniam, Saytis Mineruam Deos Deasq; adscripserunt.
Strabo, auctor grauisissimus, & in priscis monumentis di-
ligens, Solem, quem sua lingua Mithram vocârint, pro
DEO Persas coluisse testatur. Mitymnenses ab Apollis-
ne iussi, Dionysij ligneum caput scribuntur pro Numine
venerati. Ephesij Pixodorum quendam ex pastoritio ge-
nere diuinis honoribus affecerunt, propterea quod forte
fortuna in Thaso greges pascens lapides candidos eruerit.
Simon Samarites DEVS fuit à Romanis decretus, & si-
mulacri honore donatus, in Tyberis flumine inter duos
pontes collocati, addito hoc titulo, SIMONI DEO SAN-
CTO. C. Tacitus, cuius historia Lipsio veluti hortus est,
& semis

82

& seminarium præceptorum, Germanos, ait, DEORUM maxime Mercurium coluisse, cui certis diebus humanis quoque hostijs litare fas habuerint. Vnde Teutas dictus à Luciano & Lactantio putatur, Herculem verò & Martem concessis animalibus placasse. Vandali SIEBAN vel SYBAN auxiliatricem habuerunt, virginem raro, & ad furas usq; proluxo capillo, manibus à tergo porrectis, quarum alterutra pomum aureum, vuam pampino inaurato alterutra tenuit. Atque hoc idolum & his in locis cultum esse tantò verisimilius est, quantò ex Procopio certius, Vandalos ex GOTHIS oriundos. Quod idem mons ille & pagi viciniore à SIEBA vel SYBA dicti, atque accolarum incolarumq; plenior istorum locorum pronuntiatio euincunt.

Temporis verò progressu, quamquam DEOS Patrios, quos à Maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter, & retinendos quique arbitrentur, vt Cicero, vel vt Philo Iudæus ait, sua cuique optima religio videatur: Tamen veteribus recentes, antiquis nouæ superstitiones indies successerunt, donec tandem Pontificia Tyrannis ingentis instar vastiq; fluminis inualuit. Quæ suo ab ortu exigua quidem, sed perpetuò aucta, & tumefacta progrediendo, cum refractis imperiorum regnorumq; repagulis fuerit per vniuersam Germaniam in summa impietate debacchata, etiam in hæc loca cum innumerabilium animarum oppressione inundauit, diuina humanaq; omnia bellis & cædis bus commiscens. Fuerunt quidem in illa confluge societates quamplurimæ noxiæ & detricosæ, deterior verò omninò nulla quam Monachorum colluies, quippe sanctuli illi & temperantes, quorum omnis pietas in culina & *ἡ γὰρ ἄσπετος ἡγοῦνται ἡρώων*, vt cum Euripidæo Adrasto, vel cum Seneca loquar, virtus omnis in prospero & felici scelere. Petebant hi primum solitudines, & ab hominum consortio remotos sylvarum recessus,

58
sus, vnde Eremitæ dicti, quos Græci *Αναχωρητας*, nostri vero, inquit Polydorus, Monachos nuncuparunt. Non quidem, ut gloriabantur isti, ad Heliae & Iohannis Baptistæ exemplum, quorum ut ille plusquam Propheta, ita hic plusquam Monachus censeretur debet: Sed Essenorum potius & Antonij Aegyptij cuiusdam, qui in Thebaicæ regionis solitudine primus Cœnobium condidit, in quo mortem obiit annos centum & quinque natus, qui fuit annus salutis humanæ trecentessimus, primus & sexagesimus, relictis Amata & Machario discipulis, qui Monasticum ordinem postea mirum in modum propagarunt. Verum ubi tumidi illi ventres in plures partus & fœtus quasi disrupti sese ulterius continere in solitaria vita non possent, pro ut à delibatis semel voluptatibus haud facile animus auocatur, ex solitudine in hominum consortia, ex abditis sylvarum recessibus, in agros, ex desertis in culta, ex horridis in amœnissima quæque loca, ex pagis in oppida, in ciuitates ex vicis excesserunt, illi præsertim, qui ex Augustinianorum familia, quæ à Redone Comite quodam Montigranelli, ad ritum D. Augustini, sub Gregorio duodecimo instituta creditur, primi Mendicantes siue Terminarij dicebantur.

Atque hæc illorum origo, hæc familia, Auditores, qui primi hunc locum excoluerunt, ex priuato publicum, sacrum ex profano, ex rerum illiberalium palestra, gymnasium virtutis & prudentiæ factum, esse voluerunt Ecclesiarum seminarium, Rerumpublicarum plantarium, atque adeo optimum & pulcerrimum ciuitatis huius & totius prouinciæ armamentarium, in quo tot hominum liberi alimentis enutrientur litterarum, & res omnium maximæ atque diuinitissimæ propagarentur, non solum locis ac regionibus, verum etiam perpetuis humani generis ætatibus & temporibus profutura. Nam istiusmodi genus hominum cum vicinorum pagorum Eschlobij, quem Archipresbyter tum in
habita

habitasse dicitur, ALSchlobij, Mittelhusij, Töpflöbii, & qui à Marte dictus putatur Heresdorffij, pertæsum esset, vel quod ad res diuinas sine vlllo impedimēto contemplandas apta minùs, vel quod verisimilius, non magnifica & ampla satis viderentur, quæ tantos caperent : ex confinio isto in ciuitatem hanc commigrârunt, quam & fertilitate atque negotiatione, & rebus ad vitam necessarijs omnibus ad abundantiam vsq; diuitem sciebant, sibiq; & sedi atq; domicilio suo hanc ipsam aream, hæc ipsa fundamenta selegerrunt. Spectabant autem hæc eo tempore, vnâ cum domo atq; horreo vno & altero ad ABBAtissam Monasterij sanctæ crucis, extra muros huius oppidi, quo in loco hodie Cœmiterium nostrum. Hanc adire quotidie Monachi precari, instare, sibi vt velit aream istam, isthæc fundamenta, casulas illas, & istud horreũ possidenda ob eum ipsum concedere, propter cuius honorem & gloriam mendicitatem perpessi, nullo loco ferè certi, pauperes & egeni diuagarentur, velle sese ex fundamentis Cœnobium & excitare, & perpetuum id non humano vsui, sed cultui diuino, sed piarum precum & votorũ, vigiliarumq; Gymnasium pro Catholica Ecclesia CHRisto IESu consecrare. Quid faceret optima DOMINA, non satis certum, concederet? maximã certè partem de suis redditibus secedere facta ratione deprehendebat: Non concederet? Facere sese non ignorabat tam contra proximum, quàm peccare in eam ipsam fidem, quam bonis operibus adeò deprecandam ipsa profiteretur. Quapropter victa tandem, tum precum multitudine, tum sua ipsius sanctitate, & benemerendi studio, non tantum fundamenta isthæc, cum omnibus super illa extructis concessit, verumetiam quæ in vrbe hac possederat, ædificia omnia, consentiente senatu, illis liberalissimè attribuit, anno supra millesimum ducentesimo quinquagesimo octauo. Quæ donatio, vt rata, non ad tempus, sed perpetuò haberetur,

C

retur,

82
retur, sua illam auctoritate & confirmavit, & fecit suis sum-
tibus, vt summi Pontificis Innocentij maiestate firma iube-
retur. Hic nō ille Innocenti⁹ est, Auditores, qui postquam
Robertum Lincolinensem, quod ipsius teterrimos mores
improbaret, in Curiam citatum iniuste damnasset, hic verò
ad Christum iudicem appellasset, hanc vocē totam curiam
personantem: V E N I tu miser in iudicium & percepit, &
postero die in lecto repertus exanimis fuit, atq; in eo livida
plaga, tanquam fuisse percussus interisset. Sed eius nominis
quintus, qui Petrus de Tarantasio dictus, ordinis prædica-
torum Monachus, Urbano quarto successit, qui ea nocte
defunctus est, quā miræ magnitudinis Cometes disparuit,
qui tertio antè mense apparuerat, quo ipse Eucharistici pa-
nis festum, instinctu foemina cuiusdam sibi familiariter no-
tæ, consecrauerat, ex quo postea sese innumerabilium su-
perstitionum feces tanquam ex corruptissimo stagno effu-
se exonerarunt.

Atq; circiter id tempus hoc Cœnobium, parietes hi,
hoc refectorium, cellule istæ, & ista domicilia sunt à Monachis
condita, inhabitata, & mira diuitiarum magnitudine
ditata. Cum enim indulgentiarum, quas vocant, siue nun-
dinas, siue aucupia exercendi potestatem plus quàm à tri-
ginta Pontificijs proceribus Roma, Latrano, Auione, Co-
lonia, Moguntino, Herbipoli, Salisburgo, V Vormatia,
Magdeburgo, Aschafenburgo, Valle S. Gregorij, Erphor-
dia emendicassent, tanquam ad tutissimum aliquod Asylum
huc Laici cateruatim aduolârunt. Et quia nouerant sanctos
illos Reges, quorum memoriam Ecclesia recolit, ad ado-
randum Christum, recens natum, non sine muneribus ve-
nisse, ne ipsi quidem immunes ad Monachos huc venire
voluerunt, vsq; pro muneribus non thus, non cereas so-
lum, sed aurum, sed argentum, sed fundos, sed ædificia, sed
omnia vno verbo, quæ habebant, siue mobilia siue immo-
bilia

bilía bona obtulerunt, adeò vt reditus partim perpetuariis
os, partim qui redimi potuerunt, vltra quàm ex quinquaginta
duobus pagis & ciuitatibus habuerint colligendos, nec vrbs aut
pagus vllus fuerit in hoc vel trium vel quatuor milliariis
hæmisphærio, è quo quàm plurimi sese huic Cœnobio certa
deuotione non vltro obstrinxissent. Quade re si cuiquam
vestrum dubium est, P. C. litteras & monumenta petat, quæ
in Archiuis huius Monasterij vno volumine contenta asseruantur:
Exinde non ea, quæ dixi modo, solum, verùm & alia, eaq;
multo potiora cognoscet.

Hinc FRIDERICVS MYCONIVS vir ille clarissimus, atq;
de Ecclesia & Schola nostra optimè meritus, in suo manuscripto
Chronico tot tantasq; facultates, ait, in hoc Cœnobium Monachos
congestisse, concumisseq;, quantas quidem sine numero mentiri
aliquis, sed credere nemo possit. Comprobatur videlicet tum
maximè fuit Aristophaneum illud, ἐπὶ τῶν ἱεροσολιμίων, ῥήτορες, καὶ
συκοφάνται, καὶ πονηροί. Tantam diuitiarum multitudinem
quotidie studuerunt alijs atq; alijs fraudibus amplificare, pro
vt sunt, qui iniuste ditescendi studio laborant, vbi vt iterum
cum Comico loquar:

Τάλαυτά τις λάβη τριακάδεκα

Πολὺ μάλλον ἐπιθυμῶ λαβῆν ἑκκαδέκα

Καὶ ταῦτ' ἀνύσῃ, τετράρακοντα ἔσλετ'

ἢ φησιν, οὐκ εἶναι βιωτὸν αὐτῶ ῥον βίον.

Ideoq; à CAROLO IV. cui anathematis execratione oppresso
Ludouico Bauaro, imperium fuit suffragijs plerorumq;
Electorum traditum, leges & priuilegia pro sua & stabilienda,
& eo tutius exercenda libidine & nundinatione fuerunt
anno vltra millesimū trecentesimo sexagesimo tertio
etiam atq; etiam eblanditi. Verùm ita vt fit, vbi πλεῖστοι ἀτεχέως
ὑπερβαλλοσιν τῇ μοχθηρίᾳ, vbi, inquā, homines in saturitate
viuunt, & diffuunt otio, cum in fastū, in luxū, in ebrietatē &

48
teterrimas voluptates excessissent nostri Monachi, eorūq;
domicilia omnis turpitudinis officina, scelerumq; & facino-
rum asylum euasissent, ciuibus nostris ad vnum omnes cæ-
perunt in oculis morbus esse, res ægerrima in animis. Quo-
circa cum & hanc ciuitatem, discussis errorum, quibus in-
uoluta erat, tenebris ad Euangelij lucem perducere, eamq;
impia superstitione omninò repurgatam cœlesti doctrina
imbuere statuisset Deus, aduentantis iam & instantis saluta-
ris illius mutationis hanc, quam mox audietis, occasionem
dedit.

Habet vrbs nostra diuina prorsus benedictione tam
opimas & fertiles honestissimè & victum quærendi, & ius-
tissimè ditescendi rationes, vt & vbertate agrorum, & var-
rietate fructuum, & magnitudine Istideæ negotiationis,
& multitudine earum rerum, quibus vita indiget, facile
omnibus terris Germaniæ multorum iudicio antecellat. Sed
vt nulla vnquam, ita nec hæc felicitas sine inuidia & labor-
re, vt vel inde verum Pindaricum istud videatur, *ἡ δὲ τις ὄλη-
σθαι ἐν ἀνθρώποισι, ἀλλὰ καμᾶτα ἔφαινε*.

Coloniæ enim viciniore nō tantum fines nostras sem-
per attrectârunt, in pascua, in agros, in custodias inueterâr-
unt, verum etiam ciuibus omnem victus quærendi ratio-
nem præscindere omninò laborârunt, capta negotiandi,
cauponaria exercendi iniquissima quaq; occasione. Quibus
amissis, se suamq; dignitatem non sustinere posse deprehen-
debant ciues, nec fieri, quin re & fortuna amissa, Respubli-
ca in ingentem calamitatem traheretur.

Ad has ergo & similes propulsandas iniurias anno vi-
cesimo quarto circiter millesimum quingentesimum, arma-
ti ciues in illas ipsas Colonias excurrerunt, patriæ libertas-
tem defenderunt, cauponaria dissipârunt. Adeo Maiores
vestri P. C. fines suas attrectari passi non fuerunt, & vos a-
lios in vestris vectigalibus versari patiemini? vicinos pa-
gos,

gos, quòd erant iniurijs, extinctos penè patres vestri volu-
 erunt, vosné ab illis ipsiis innouatas iniurias feretis inulti?
 Illi libertatem ciuium imminutam non tulerunt, vos etiam
 ereptam negligetis? Illi ius suum verbo violatum persecuti
 sunt, vosné oppressum & debilitatum relinquetis? Videte
 ne vt illis pulcerrimum fuit, tantam vobis patriæ libertatis
 gloriam reliquisse: sic vobis turpissimum sit, illud quod ac-
 cepistis libertatis decus tueri, & conseruare non posse. Ve-
 rùm vt inde reuertar, quò abduxit me temporum iniuria,
 reuerfi à Colonijs illis ciues nostri, quæ arma pro libertate
 sumferant, pro vera Relligione, contra tetras falsarum su-
 perstitionum opiniones, pro virtute contra omnis generis
 scelera & facinora efferunt. In Pontificiorum conciliabula
 & iustra bacchantur, ædes illorum deuantant, fores & fene-
 stras depopulantur, demoliuntur fornaces, lectisternia di-
 ripiunt, direpta ventis committunt, istorum verò mulieres
 quadrantarias vrbe eijciunt. Ac quamuis hic ipse furor se-
 ditiosorum potius, quàm libertatem asserentium fuisse vi-
 deatur: ex eo tamen bona quàm plurima euenerunt. Ab
 eo namq; tempore Pontificia Tyrannis labi & ruere magis
 magisq; quotidie visa fuit, donec tandem ante annos sexa-
 ginta tres refrenatis libidinibus, repressa & cohibita luxu-
 rie, expulsis nequitia instrumentis, sublata omni Ecclesia-
 sticarum rerum nundinatione extirpata penitus fuerit &
 deleta.

Habebat sub id tempus istud Germaniæ miraculum
 D. LV Therus pro Cœnobio hoc, veræ Relligioni eman-
 cipando in æde contigua hac Augustiniana, de gloriosissi-
 mo Christi triumpho ac victoria, de Diabolis inuictissimè
 deportata concionem, qui tum erat, Deum immortalem,
 hominum concursus? quæ multitudo, quanta frequentia
 ad ipsum audiendum, videndumq; domibus & vicis omni-
 bus sese in publicum effundebat? Quæ tota vrbe Monas-
 chorum

C. 3

chorum



28
chorum trepidatio, qui pavor, quæ concursationes : Tan-
tus verò Diabolorum furor, ira tanta, tantus fremitus, vt
finita concione incredibili ventorum impetu de eiusdem æ-
dis fastigio ingens saxum deiecerint. Sed ô bonitatem, ô
clementiam Dei perpetuò prædicandam, furor eius & co-
natus in ventos nec quicquam recessit.

Atq; sic, humanissimi Auditores, ex impietatis officina
schola pietatis euasit, ex desidiæ atq; ignauiæ septo, diligen-
tiæ & industriæ domicilium, ex petulantia & libidinis con-
siliabulo legum & disciplinarum asylum, ex latibulo deniq;
impudicitia & turpitudinis domus innocentia atq; integri-
tatis. In quo antea loco Monachi cuticulam curabant, in eo
iam P. C. filioli vestri ingenia, in quo illi effætum corpus,
in eo hi animi vires reficiunt, in quo illi Bacchi & Cereris
illecebras quærebant, in eo hi Apollinis & Mineruæ blan-
dimenta : vbi ætatē illi in quiete & remissione collocârunt,
ibi vos adolescentes, vitæ vestræ cursum in labore corporis
atq; in animi contentione conficere debetis : vbi voluptatis
causa illi omnia sibi facienda existimârunt, ibi nihil in vita
experendum vobis esse putetis, nisi quod cum laude sit, &
dignitate coniunctum. Dicerem hoc loco, Auditores, istud
Templum, quod in colle, ad cuius radices vrbs nostra, ma-
gnificè extructum, omnibusq; rebus illustratum mirificè fu-
it, funditus eo tempore destructum atq; translatum esse :
Dicerem, ornamenta eius omnia partim in templum ad D.
Margretham, partim ad D. Augustinum transposita : Di-
cerem, iussos Canonicos esse, suas ipsius ædes demoliri, nisi
ad secundam orationis partem magnopere properarem.
Ideoq; vbi delibauero, quomodo hanc Scholam PP. nostri
illustrissimi fundauerint, auxerint, locupletauerint, vbi at-
tigero, quomodo eandem Senatus & ciues nostri propagâ-
rint, legibus munierint, armârint disciplinis, ad eam ipsam
plenis velis, quod dicitur, contendam.

Fuit

Fuit hoc studium omni tempore sumis & maximis Regibus ac Principibus, rerumque publicarum sapientissimis quibusque moderatoribus, ut inter ceteras Reipublice partes scholarum quoque curam & propagationem ad se pertinere iudicarent, tum religionis & veritatis caelestis, tum etiam sapientiae civilis & liberalis doctrinae propagandae gratia. Quid enim non tantum in scholas, verum omnino in litteras contulerint olim summi illi Monarchae, Moses, Pythagoras, Mercurius, Zoroastres, Solon, Picus Mirandula, & alij referunt. Alexandrini Reges tantis studiis tantaque diligentia doctos homines conquieserunt, ut sermone tritum illud puerbium inde natum credatur, *σοφοὶ τὴν βασιλίαν, σοφῶν σωσσία.* C. Iul. Caesarem omnes liberalium Professores civitate donasse Suetonius, Platina vero scribit, Imperatorem Constantinum, magnum illum, Romae in Christianorum templa incredibiles thesauros contulisse, adeo ut in Christi Salvatoris & duodecim Apostolorum monumenta ex mero argento inaurata statuendo, nescio quot talenta profuderit. In C. Taciti historia in Bibliotheca ceu Amalthaea quadam reponendam, Tacitus Imperator aliquot, octingenta vero talenta Alex. Magnus erogavit in libros Aristotelis de animalibus, unde *πολυτάλαντα* dictos esse auctor in primis Athenus est. Quid Alphonsus, quid Carolus re & nomine Magnus, quid alij innumerabiles in scholis aperiendis illustrandisque fecerint, hominum memoria seculis futuris omnibus deprecabit. Ex quorum numero fuerunt optimi & sanctissimi PP. Septemviri & Electores Saxonie, illi quidem non contenti rerum immortalium gloria & armorum splendore, qui solis castris contineretur, tunc denique se existimaverunt satis magnam gloriam habere, si ex omni ditione sua inueteratam Pontificiorum barbarie funditus deleuissent, extirpassentque radice, & contra eam armassent subditos suos bonis moribus & disciplinis. Itaque cum & ipsi eruditissimi, & eruditorum hominum amatissimi essent, & pietatis atque omnis hu-

manis



28
manitatis studiosissimi, omnem curam ad amplificandam
rem litterariam præcipue contulerunt, multasq; non solum
ædes sacras, sed etiam Academiâs & Scholas fundârunt, in-
augurârunt, redditibus auxerunt, ac præterea viris doctis
præmia amplissima constituerunt. Monumentum huius glo-
riæ illustrissimum præter illustres Academiâs illas LIPSIAM,
VITEBERGAM, IENAM, quarum prima illa à FRIDERICO I.
altera à FRIDERICO II. postrema à IOHANNES FRIDERICO
I. erecta atq; constituta est, præter, inquam, celeberrimas
Scholas illas PORTENSEM, CHEMNICENSEM, MISNENSEM,
est & hæc GOTHANA nostra. Atq; hanc nostram quidem
optimus & sanctissimus P. IOHANNES FRIDERICUS, Dux
Saxonie, & sacri Romani imperij ELECTOR, à suis sapien-
tissimis Maioribus potissimum Religionis & pietatis causa
inauguratam magnifice non tantum dotauit, multisq; ho-
noribus ac redditibus auxit atq; locupletauit, verum etiam
legibus bonis, æque ac moderatoribus bonis, viris Reli-
giosis, & in omni doctrinarum genere eruditis, mirum in
modum exornatam sanctissima Foundationis lege semper
voluit. Vidit nimirum atq; intellexit illustrissimus P. Eccle-
sias & Politias vt plurimum constitui atq; gubernari felicis-
simo eorum successu, qui ignobilissimis parentibus, ijsq;
pauperrimis oriundi suo sibi labore, aliorum tamen præsi-
dijs GLORIAM & virtutem peperissent. Nemo enim, Chry-
sostomo teste, ob parentum vitia obscurus, nec clarus ob
virtutes eorundem. Ideoq; in viginti quinque Adolescentes
ad Dei gloriam, patriæ verò salutem, in hoc Coenobio enu-
triendos erudiendosq; summa liberalitate perpetuos redi-
tus decreuit, constituitq; præceptoribus honesta singulis
stipendia, præmia laborum, molestiarum alleuamēta. Quæ
omnia, quanto studio, qua cura, quanta laude Filij eius &
Nepotes, PP. nostri illustrissimi perpetuent, quibus virtu-
tibus patriam auitamq; gloriam & memoriam illustrent,
hæ ipsæ

hæ ipsæ columnæ, medijsfidius, vt mihi videtur, nutu quo-
dam tacito attestantur. Hanc erga scholam nostram benigni-
tatem & clementiam quibus laudibus efferemus? quibus
studijs prosequemur? qua complectemur beneuolentia?
Maçti Principes illustrissimi, maçti Patres patriæ, & Euer-
getæ clementissimi, maçti inquam, pietate ista insigni, atq;
bonitate eximia, & gaudete isto vestro tam excellenti bo-
no, & fruimini tum fortuna atq; gloria, tum etiam fructu &
emolumento cum vestro, tum patriæ & Reipublicæ vni-
uersæ, Pro quo equidem nos omnes, quotquot sumus, ma-
ximas vobis agimus gratias, maiores etiam habemus & ha-
bituri sumus perpetuò. Nam si pulcrum Ethnicis fuit ani-
mo grato complecti, quid Themistocles, quid Scipio, in
sua quisq; patria egerit, quos hostes & quàm potentes vi-
cerit, quàm graue iugum à ceruicibus nobilitatis, quàm fe-
ros enses à iugulis ciuium auerterit; turpissimum certè no-
bis Christianis foret, tantam laudem nostrorum PP. contis-
cescere. Quid multa? cum nihil in rebus humanis sit ope-
re aut manufactum, quod non aliquando vetustas conficiat,
sola hæc laudatissimorum PP. pietas florescet quotidie
magis ac magis, eaq; canescet seculis innumerabilibus.

Iam verò prudentissimi clarissimiq; Senatus nostri in
eadem propaganda sollicitudinem, curam in conseruanda
quibus verbis commemorabimus? qua eloquemur oratio-
ne? Is ipse cum probè intellexerit, falsissimum esse Aristoz-
phanæum illud, ἡδὴ μαγαγίαρ ὄν πρὸς μασιδῶ; verùm econtra
Belissarij istud ad Regem Totylam græcè scriptum, pru-
dentum virorum officium esse, vrbes augere, vacuasq; or-
namentis implere. Ornamenta autem vrbium verè esse Le-
ges & Litteras, quæ ψυχὴ πόλεως, vt cum Isocrate loquar, &
ad leges atq; litteras exercendas excolendasq; necessariam
quandam præcursionem scholas adhibere, non potuit non
suam hanc ab initio defecata Pontificiorum eluuiei induz
D stria &

stria & diligentia doctorum virorum quam laudatissime
 constituere. Et quia non *χολη*, sed *χολη* est, quemadmodum
 Diogenes Euclidis scholam nominavit, ubi arguta, & ad
 bene beateque viuendum inutilia traduntur, suae non splen-
 didos titulo, nec magnos nomine, sed pios & doctos, sed
 modestos praefecit, quicquid non vnum aut alterum, sed singu-
 los & omnes, non se, sed iuventutem, non senes, sed pueros
 scirent, vt Quintilianus praecipit, optimis quibusuis disci-
 plinis & artibus imbuerent. Pueri enim sunt, qui sicuti in are-
 ola digitum praecedentis sequuntur, ita aetas mollis & tene-
 ra in vtramque partem flexibilis est, & quocumque duxeris, tra-
 hitur, vt D. Hieronymus, & vt Plato inquit, horum in pri-
 mis rationem habere conuenit, vt in optimos viros adoles-
 cant. Ex istiusmodi praestantissimis praceptoribus, quos
 vocat Quintilianus, fuit M. Basilus Munnerus. Hic pri-
 mus, auditores, post exhaustas Pontificiorum sentinas in
 hanc scholam artes & linguas tanta industria tantaque aucto-
 ritate introduxit, vt dubitare quis possit, plus ne ipse scho-
 lae, an schola ipsi debeat. Nam in eadem cum breui tempo-
 re miris modis effloruisset, ad informandos illustres PP.
 IOHANNEM FRIDERICUM II. & IOHANNEM V Vil-
 helmum, euocat? Vuitebergam discessit, ibique summa cum
 laude vixit, suos etiam PP. & Dominos in publicum ibi-
 dem aliquoties orationibus, & rebus & verbis elegantissis
 instructos produxit, magna cum Professorum, tum stu-
 diosorum frequentia & admiratione. Tandem I. V. Doctor,
 illustris, Electoris Consiliarius, & P.P. Ienae animam placis-
 de exhalauit. In huius vices M. Laurentius Schipperus fuit
 paulo post subrogatus, quem breui M. Georg. Merula ex-
 cepit, viri vndique docti, tum fideles atque constantes in sua dif-
 ficilima conditione, pro vt fuerunt tum temporis scholasticae
 functiones reuera, quae Aristophanes dicit *προβλησθησιν*, quas
 ab vna parte adhuc rerum omnium caligo, & tenebrae plusquam
 Cimmae

Cimmeriæ exacerbabant, ab altera Pontificiorū confluges,
 & barbaries adeo, vt mirū non fuisset, si ille ipse primi ardo-
 ris impet⁹, qui vigere solet, subito elanguisset, si illum rei dif-
 ficultas auocasset, hunc capisset eiusdem satietas, quæ ardē-
 tissimis plarumq; desiderijs proxima est. Hunc secutus M.
 Pancrati⁹ Sussenbach Silesius, gnauiter hanc scholam admi-
 nistravit, prauos mores legibus coërcuit, petulantiam verò
 tanta disciplina opp̄ssit, quanta hactenus nemo ququam po-
 tuit melius. Ipsi recordamini, pcul dubio, P. C. tantæ ipsum
 grauitatis seueritatisq; fuisse tum verbis, tum factis, vt man⁹
 suas ne quidē ab ijs hominibus, qui suę scholę nō erant, con-
 tinuerit, si quem forsan his in sacris luxuriantem dephendis-
 set. Qui cum satur scholæ, satur laborū, satur difficultatū es-
 set, ipse se suo munere sponte abdicauit, postquā huic scholæ
 annos circiter viginti inseruisset, atq; in Patriam recessit, in
 qua tanquam portu velis complicatis, ceterisq; armamentis
 omnibus compositis, quieuit. Non tamen sese languori &
 desidiæ dedit, ignauorum enim vitam & mortem iuxtā
 æstimauit, verū ijs artibus quosdam adolescentes nobiles
 exercuit, quibus vsq; à puero deditus fuerat. Successit huic
 M. Cyriacus Lindeman, vir omnium humaniorum virtus
 tum exemplum: hic pietatis, eruditionis, modestiæ imago,
 hic gręcarū latinarumq; literarū promus condus, hic pueros
 informandi, hic erudiendi adolescētes, hic docendi iuuenes
 sumus & perfectissimus artifex. In hoc vno, auditores, om-
 nia quæcunq; in bono & fideli præceptore possunt à quoq;
 requiri. Hæc nō DICIS causa refero, vno ore omnes vltro
 fatebuntur, quotquot adhuc in viuis sunt, sunt a. ex om-
 nibus facultatibus quàm plurimi ipsius discipuli. Inò fatetur
 discipulorum ipsius Princeps M. Iohan. Dinkelius, Super-
 intendens Coburgensis clarissim⁹, cui vtinam ominaremur
 hunc diem faustum & felicē illuxisse, in quadam oratione de
 ipso Coburgi ad cœtum scholasticum grauissimè habita, Ad

D 1

hanc

88
hanc excurrere, auditores, si de dictis cuiquam dubij quies
quam subierit. Carum ipsum in primis habuit istud totius
Germaniæ lumen Ioachimus Camerarius, quem litteris sæ-
pius inuisit atq; exercuit. Ideoq; cum aliquando huc Lipsia
& nuptiarum celebrandarum & ipsius salutandi gratia ve-
nisset, in eodem hoc auditorio à Lindemanno rogatus, vir
ille clarissimus Pythagoræi aurei carminis magnam partem
cum summa frequentissimi auditorij admiratione interpre-
tando absoluit. Reliquit videlicet vir iste græcarum litterarum
ad oraculum vsq; doctus sui eo modo in hac schola im-
mortalem & memoriam, & græcas litteras interpretandi,
quæ tum in Triuialibus noua & inaudita, optimam & facilis-
simam rationem ostendit. Sed quem verisimile non est aliu-
um quemquam posse, quantumuis dicendi peritum satis
laudare, quid ego in hac imbecillitate? Hoc tantum addo,
ipsum suis carum, scholæ desiderandum, honorandum pa-
triæ, omnibus lugendum, placidissimè in suorum comple-
xu, in suo hoc natali solo obdormiuisse, postquam precibus
& lacrymis pro salute patriæ bellica clade iam tum periculis
tantis ardentissimè quotidie effusis, confectus ferè & con-
sumtus esset.

Substituēbatur huic M. Paulus Schmid, qui propterea
quod ad sacrosanctum ministerium adspiraret, huic Scholæ
diu non profuit, sed cum laude. Cuius votis cum esset abun-
dè satisfactum, gubernacula eiusdem fuerunt M. Iohanni
Meyero commissa, Iena euocato, viro eloquentissimo. Huius
quod recentior memoria sit, quàm quæ possit refricari,
& seipsa satis commendata, nihil hîc p̄terea dico, nisi quòd
suarum meditationum, cogitationumq; nonnullas, Romanæ
præsertim historiæ continuationem litteris & posteritati
commendasset, nisi Fata ipsi tantam gloriam, & ipsum vnâ
eripuissent. Huius locum M. Iohannes Dinkelius supple-
bat, Erphordia sacrosanctæ linguæ professione auocatus,
cuius

cuius industria & diligētia breui tempore sic effloruit scho-
 la nostra, vt frequentiore Antecessorum nullus habuerit.
 Huc ex vicinia Pastores tanquam ad Barbanum quendam
 Hebræa profitentem, huc & alij tum frequentes aduola-
 bant ad altissima istius linguæ mysteria cognoscēda. Quem
 cū verè sibi mirificasset Deus, sanctificassetq; ad diuinarū
 omninò rerum professionem, ex Scholis quidem transtulit,
 sed scholis non abstulit, immò istis tum demum verè præfe-
 cit. Quibus quanta præsit & profit auctoritate, quas quāta
 iuuet, quāta promoueat, ipsi qdem, me non dicente, quāta
 plurimum nouistis, quotquot adestis, Auditores, plura ta-
 men ipse dicerem, nisi si dicerem, me velle quid auribus ip-
 sius dare vobis viderer. Quem, misericordissime Deus, an-
 cipiti & grauissimo morbo haftenus lethaliter afflictum, ijs-
 dem velis diutius præesse & prodesse, in nominis tui laudē,
 & salutem Ecclesiæ, nisi nos omnes constituisti grauissimis
 pœnis coërcere.

Deniq; M. Iohannes Helderus, antecessor meus dig-
 nissimus, cuius eruditione & doctrina, vt mihi videtur, hoc
 ipsum Auditorium adhuc quotidie personat, huius memo-
 riam & laudem discipuli eius olim celebrabunt, quorum
 quamplurimos, quos ipse quidem noui, ex hac schola in ce-
 leberrimas quasq; Academias emisit, nonnulli etiam ex ijs
 iam publicis muneribus cum laude defunguntur.

Hos scholæ suæ laudatissimos REctores cum COLle-
 gis, quos habuerunt, singulis Senatus noster honestissimos
 post reuerendum & clarissimum ministerium proximos
 semper non tantum habuit, verumetiam singulares ijsdem
 honores, qui possunt nostro ordini, decreuit, eos iuuit, op-
 timis quibusuis conditionibus promouit. Et quia merces
 recreant, grauant autem admodum SCHolarum labores,
 hodie, proh dolor, plerosq; neminem autem merces, ad
 quas pleno sinu capiendas prompti omnes, nemo ad labo-

D 3 res,



28
res, quos omnes detrectant, verentur omnes, nemo merces & stipendia: Præceptoribus stipendia, & reditus singulis suos senatus fecit quotannis sine singulari molestia offerri. Nonnullorum quoque stipendia adauxit, ut & collegarum numerum, tantum abest, ut cuiquam quicquam detraxerit, quamuis detrahendi auctores suasoresque sæpenumero non defuerint. Symmachi videlicet illius optime memor, bonas artes, inquentis, honore nutriri, atque hoc specimen esse florentis Reipub. ut disciplinarum professoribus præmia opulenta pendantur. Et male profecto Thrax Imperator, qui, Zonara referente, antiquitus constitutas in quoque oppido annonas Professoribus bonarum artium dandas de consilio præfecti sui sustulit. Nam ita frigētibus passim per oppida scholis rusticitas & barbaria occupauit habitantes. Peius verò Q. Flavius Flaccus, qui quod in censura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem fortunæ Equestris, quam Romæ faciebat, atque adeo res sacras ad profanos usus transtulisset, mente nunquam constitit, immò verò per summam animi ægritudinem exspirauit. Cuius casu motus senatus, tegulas illico reportandas curauit. Hodie si illi, qui SCHOLARUM & TEMPLORUM reditus illotis, ne piceis manibus dicam, attrectant, vel mente laberentur, vel interirent omnes, quot quæso Auditores, ex rerum sacrarum Curatoribus existimatis sapientes, & viuos multis in locis inuentum iri? Ira me Deus amet, sapientem vel neminem, vel paucos viuos: usque adeo hodie ex posteris pauci sunt, aut omnino nulli, qui manus ab ijs rebus continent, quas maiores sui Deo sacras esse vnicè voluerunt.

Ne autem Scholæ suæ curam vnquam deposuisse cuiquam videretur Senatus, atque in numerato quasi haberet quotidie, quomodo istiusmodi sumtus erogati apud iuuentutem collocarentur: duos ex suo quasi corpore viuos doctos &

etos & eruditos magno consilio præterea selegit, qui vnâ
 cum Domino Superintendente huius loci, secundum Plu-
 tarchi præceptum, scholasticorum exercitiorum *αὐτόμα*
 quotidie existerent: cum Rectore & Collegis de Scholæ,
 de præceptorum, de discipulorum siue defectu, siue exces-
 su, si qui deprehenderetur, familiariter & sæpius colloque-
 rentur, errantes admonerent, in viam reducerent, corrige-
 rent. De Schola amplificanda, de puerorum, de rebus præ-
 legendis consilia conferrent & communicarent. Sæpenu-
 mero etiam orationi præsentem bonam indolem commenda-
 rent, incenderent, excitarent: negligentes reprehensione
 deprimerent, castigarent, rubore suffunderent, ad frugem
 aliquam promouerent. Quosdam enim, inquit Quinctilianus,
 metus continet, quosdam debilitas, alios continuatio
 extundit, in alijs plus impetus facit: illum laus excitat, hunc
 iuuat gloria: ille victus flet, hic erit alendus ambitu: hunc
 mordebit obiurgatio, hunc honor excitabit. Et peccantibus
 nonnullis parentum præclarorum mentionem obiicienda
 Plutarchus existimat: Quomodo apud Homerum
 Tydei filius, & Scipio Africanus ab Appio corriguntur.
 Huiusmodi enim dicta & peccantes emendant, & decent
 inspectores. Quin & Senatus ipse quotannis bis hunc scho-
 lasticum exercitum sub examinum sollemnitate præsens lu-
 strat, illustrat, exornat, atq; sua auctoritate ad frugem, ad
 gloriam, ad eruditionem exstimulat. Istiusmodi Curia, Ec-
 clesie & Scholæ amicissima conspiratio inde vsq; à Luthera-
 rana Euangelij reformatione in huius ciuitatis non minima
 est felicitatis parte ponenda, adeo vt nulla ex omnibus totius
 Turingiæ sit, quæ hac in re queat cum nostra conferri.
 Cuius laudatissimæ virtutis ante annos ab hinc quinquaginta
 vrbs nostra ab illustri Vuittebergensium Academia pub-
 licam habuit, eamq; magnificam commendationem.

Quin

29
Quin & hanc scholam miris modis prouexit & amplifi-
ficauit Ciuium nostrorum liberalitas, quam alij pauperio-
res, qui huc aliunde aduolant suscipiendo, alij alendo, om-
nes Eleemosynis quotidie exercuerunt, Si qui tamen eam
non re & facto potuerunt, beneuolentia exercuerunt eam
& amore. Inprimis uero tua, Iohannes Calmbergi, Cos.
quondam huius Reipub. dignissime, quam pia, quam lau-
dabilis est Testamentaria donatio & constitutio, qua sin-
gulis examinibus tot libelli pauperioribus & bonæ indolis
pueris per singulos ordines distribuuntur. Tu quidem ex
mortalitate exemptus es, at nomen tuum ex hominum me-
moriam numquam eximetur. Utinam tui similes & alios ha-
beremus ex ciuibus nostris, minus hodie pauperes schola-
stici laborarent. Tantum erga Scholam hanc studium &
solicitudinem, beneuolentiam erga præceptores, mutuam
concordiam & coniunctionem, isthac ætate Senatuum no-
strum prudentissimum & amplissimum, ciues nostros ho-
nestissimos conseruare, illustrare, propagare, quid munere
suo aut conuenientius aut dignius omnino sua persona fa-
cere? quid Deo gratius, quid commodius Reipub. quid
urbis præclarior, quid nobis denique omnibus salutarior un-
quam possent præstare? Intuemini quæso vos Auditores,
in hoc elegantissimum & pulcherrimum ædificium, sumtu
haud mediocri, apparatusque insigni pro Secundanorum, æque
ac alterum huic superstructum pro Primanorum auditorijs,
cum contiguis alumnorum nostrorum cellulis perfectum
atque exædificatum: potestne etiam ullum aliquod pietatis
& religionis, honestarum artium & disciplinarum in scho-
lis propagandarum euidentius argumentum in quoquam
alio apparere? Sic optimi Coss. & Senatores Maiorum ues-
trorum memoriam conseruatis, sic propagatis uestram, sic
Dei gloriam illustratis, sic decus & nomen SCHOLÆ huius
amplificatis, Solitæ olim uel de Reipub. uel in bello bene-
merito

meritorum imagines fuerunt publicè in Templis, in Curijs deponi, & quasi dedicari: Africani imago in Capitolio, in curia Catonis Censorij, Hortensij inter Oratores conspiciebantur: vos verò Cofs. & Senatores memoriam nominis vestri litteris & monumentis seculis futuris omnibus prudentissimè committite. Nihil fumosarum imaginum, statuarum nihil, nihil exuuiarum conspectus, si quis post seculum illarum futurus est, apud posteros commendant. Pietas hominum memoriam conseruat, alit Relligio, Scholæ commendant, litteræ numquam conticescunt. Quid Alexandriam per tot secula illustrem reddidit & conseruauit? Scholæ & litteræ reddiderunt conseruâruntq; . Quid Athenas? Scholæ & litteræ: vnde à Thucydide ἐμάδ' & ἐμάς, à Pindaro ἐμάδ' & ἑραιομα vocantur. In Italia quid Vetulonum, Romam, quid Bononiam, Neapolin, Panormum, Syracusas: in Hispania quid Casaraugustum, Toletum, Valentiam: in Anglia Oxonium, Londinum: in Gallia quid Lutetias Parisiorum: in Belgio Duacum, Byzantium: in Bohemia Pragam, in Polonia Cracouiam, Hafiniam in Dania: in Germania deniq; nostra quid Coloniam, Treuirin, Moguntiam, Ingolstadium, Friburgum, Herbipolin, Dillingam, Viennam, Erphordiam, Basileam, Argentoratū, Heidelbergam, Tubingam, Marpurgum, Altorfium, Grisingisvaldiam, Rostochium, Helmstadium, Montem Regium, Francofurtum, Lipsiam, VVittebergam, quid Iesenam, quid vrbes & ciuitates hasce omnes in vniuerso orbe, quid imprimis illustrat, atq; adeo immortalitati committit? Nonne Scholæ & litteræ illustrant & æternant? Quid multa? In Scholis veluti sunt quædam Ecclesiarum seminaria, in scholis plantaria Rerumpublicarū, in scholis prouinciarum armamentaria. Nimirum hîc omnis ciuitatis spes tamquam in herbis est: hîc robur atq; præsidium vrbis, hîc religionis, & rerum diuinarum custodia, hîc omnis quæcunq;

E libera



liberalia & honesta, & vt semel dicam, alter in terris Paradisus. Quam ob causam non immeritò sacrosancta lingua Scholas Makorini, vel fontium appellatione fuit significantissimè dignata.

Proinde, P. C. amplifs. Cofs. & Senatores, ciues optimi agite, & quantum potestis hunc Scholæ vestræ pretiosissimum thesaurũ, & deinceps in Dei gloriam, Ecclesiæ salutem, Reipub. emolumentum fidissimè custodite. Quanta hinc lux dignitatis & splendoris, quanta spes laudis & gloriæ vobis omnibus exoritur? quæ vigebit memoria seculorum omnium, quam posteritas alet, quam ipsa æternitas intuebitur.

DIXI de priori Orationis meæ parte, non quidem quantum volui, sed quantum potui in hac ingenij mei mediocritate, immò quantum debui in hac angustia temporis; venio nunc ad posteriorem, quam vt cursim me & perfunctoriè exponentem, vestra, Auditores, quod adhuc fecistis, solita humanitatis & benevolentie aura in portum vsq; prouehatis, etiam atq; etiam oro.

Scholam ergo benè & laudabiliter constituere, regere, & in laudes atq; gloriam efferre, in hac rerum omnium perturbatione labor est omnium difficilimus. Præterquam enim quòd Censores esse omnes volunt, docere nemo, hic disciplinam, mores ille, alius docentes carpit, discentes alius, hic in docendo nescio quid subtilitatis, ipse, quid sit subtilitas, ignarus accusat, negligentiam ille reprehendit, de quibus verissimum illud in Platonis Phædro, ὁ δὲ δὴ ἀμακα κατὰ τὸ δελφικὸν ἡράμα γινῶσαι ἑμαυτῶν, γελῶν δὴ μοι φαίνεται, πῶτο ἔτι ἀγνοῦντα, τὰ ἀλλότρια σκοπῶν: Adolescentiæ præterea est effrenis improbitas, licentia, proteruitas, morum deniq; omnium feritas, & petulantia intolerabilis. Si qui hodie vix, ac ne vix quidem ex Ephebis excefferunt, cinnis

92

ciensis student, dant operam morum atq; vestium nouitati-
bus: Aetate paulò proeclior Baccho etiam & Veneri:
quærit popinas, interdium latet in cauponulis, omnes lances
impurè detergit, & omnes trullas, vt Plautus loquitur, ex-
haurit, sub noctem sese in publicum exonerat, tumultuatur,
furit, vociferando per omnes vicos, per compita, per plateas
horrendum bacchatur, onus sobrijs, ebrijs flamma & in-
cendium, omnibus pestis & execratio. Idèq; sæpenumero
nec ignaris nec inuitis parentibus, quibus exprobrare haud
immeritò possis, quod Ciceroni Q. Fufius Calenus apud
Dionem Cass. Niffæum, **AQVAM** tu bibis, vt sermo-
nes contra nos elucubrare possis: Filium verò in tanta te-
mulentia educas, vt sobrius nec interdium sit, nec noctu: Sic
illi ex hesterno iure atrum panem vorant, quò indulgentius
possint filium suum pecuniolis perdere. O iniquissimam pa-
tris lenitatem, ô indulgentiam matris stultissimam, quam
dolebitis olim, quam lamentabimini, vos vestrum ita cor-
rupisse. Alij in Gynæcea malunt, quam Lycæa diuertere.
Interea præceptorib; nescio quas schedulas mittunt, rem ar-
gunt cuniculis, animos illorum tentant miris stratagematis
pfodere, cœlum fallunt, mentiuntur cepas, fingunt Chimæ-
ras. Huic græca sunt, illi Poësis difficilior, quam à quo pos-
sit arripî. Econtra alius quispiam callet omnia, & vel ipso
Præceptore doctior, ex istiusmodi castris in mediam Aca-
demiarum aciem temerè profilit, ad omnia audaculus, &
ferox: ad velitationes vbi peruentum est, dum se hostes
ferire putat, vix aërem verberat, sibi interea caput dimi-
nui, & instar Lucianei cuiusdam Iouis cranium disseccari
non animaduertens. O audaciam & temeritatem, ô se-
culi calamitatem & perniciem: Mihi istius ætatis Præcep-
tores visi sunt vel lapides loqui: Hodie si fulmina lo-
querentur, vix credidero quemquam fore, qui vere-
retur. Usque adeò pauci sunt, P. C. qui leges ferendas,

E 2

qui

58
qui perpetiendas disciplinas, qui sibi patrijs moribus viuens
dum esse ducant.

Sua tamen de Schola hac amplissimè concepta spes &
expectatio Senatum nostrum nec alium quemquam bonū
vnquam fefellit, præterquam enim quòd diuinarum preca-
tionum Gymnasium & palæstra, disciplinæ Magistra, bo-
norum morum altrix, & alumna perpetuò fuit: Ex ea omni
tempore diuersi diuersorum Ordinum homines frequenti
& laudabili numero prodierunt. Ex hac nonnulli ad Eccle-
siarum, ad Scholarum nonnulli munera discesserunt. Alij in
Curias, in Aulas aliij: quidam ad mercaturas, ad architectu-
ras quidam: in officinas quamplurimi, hic quidem in phar-
macopolium, in Typographeum ille: plures ad Oeconō-
miam & res familiares. Ex hac nonnulli etiam, Auditores,
nimium & eousq; excesserunt, vt redire aut noluerint, aut
potuerint vnquam. Ex hac Theologi, ex hac Iurifconsulti,
ex hac Medici, ex hac Philosophi prodierunt. Ex quibus
omnibus insigniores tantum, & quos notos vobis maximè
scio, vbi paucis recensuero, Auditores, perorabo. Agmen
ducant illi, qui nos ad vitam & salutem Theologi, ex quibus
suam felicitatem huic Scholæ acceptum vnice & in pri-
mis refert M. Iohannes Dinkelius, Pastor Coburgensis, &
Superintendens vti fidissimus, ita clarissimus. Is ipse intra
hos parietes ferè cum lacte materno initia pietatis imbibit,
artes & linguas, nutrimenta totius vitæ, & rerum aduersas-
rum solatia hausit. Ex qua cum aliquando vel prauo con-
sortio vel puerili temeritate seductus, excessisset, ita vt sit,
vbi incerti adhuc pueri, instar Herculis, secum dubitant,
quam viuendi viam potissimùm ingrediantur, seq; in aliqua
fordidarum artium, quas Cicero dicit, instruendum cuidam
opifici emancipasset, ab eodem miris modis fuit per non-
nullos ciuium & præceptores suos redemptus: quippe qui
eius ingenij dotes sese iam tum illustribus notis, exerentes
haud

93

haud obscure deprehendebant. Facere videlicet Deus hoc modo voluit, quam verum sit perpetuo cogitet, Apostoli illud ἀπορισμένους ἐν τῷ εὐαγγελίῳ. M. Iohan. Messerschmid, M. Iohannes Cuno, Iohannes V Volferamus, nostrae Ecclesiae & vicinarum in hoc Municipio Gotthano Superintendentes, Dei iusticiae praecones fidissimi, Lutheranae pietatis propugnatores constantissimi, abominationis Pontificiae, Calvinianae, & aliarum osiores acerrimi. Henricus Zimmerus, Superintendens Ilmensis, M. Augustus Menius, M. Godefridus Poppo, Superintendentes vigilantissimi. M. Georgius V Valther, M. Georgius Poppo, M. Nicolaus Florus, M. Iohannes Faber, omnes Argentorati Pastores, quorum ut suis quisque auditoribus honori & admirationi, pro ut esse omnes apud externos acceptiores, quam apud suos consueverunt: ita posteriores duo post D. Iohannem Pappum, concionatores ibidem primarii. M. Georgius, M. Iohannes, Fladungi, quorum ille Ecclesiae Labacensis, apud Comitem Nassouiae, hic Orlamundanae, Superintendentes & Pastores comprimis fideles. M. Iohannes Hunnius, M. Iohannes Pfeiffer, Diaconi Ienenses, quem utrumque non tam saeuissima pestis Iues, quam sua cuiusque erga infectos cura & fidelitas premit, summo cum suorum luctu, citium & totius Academiae desiderio. M. Christophorus, M. Henricus Silbermanni, quorum ille proximè superioribus annis propter Lutheranae pietatis sinceritatem alma V Vitteberga eiectus, ab illustris. P. Luneburgensi & Brunsvicensi, Superintendentis Zellae Adiunctus, & quandoque successor singulari favore & honore susceptus fuit: hic verò aliquando post, ubi Calvinianorum ignis nequaquam conflagrasset, ab eadem in fratris locum fuit Iena vocatus & subrogatus. Valentinus V uippertus, M. David Aquila, M. Iohannes Meyer, M. Michael Iulius, M. Christophorus Mengvvein, M. Nicolaus Erbenius, M. Iohan-

E 3

nes

nes Heymöller, M. Cyriacus Schnegafs, M. Tilemannus Küling, M. Christophorus Lippold, M. Matthæus Vuolfgangus, M. Andreas Martersteck, M. Michael Zinzerlingus, M. Stephanus VValterus, M. Iohan. VVipperus, M. Iohannes Dunckel, M. Iohannes Fahner, M. Melchior Steinbruck, omnes Pastores, omnes hanc Scholam matrem & nutricem honorant atq; venerantur. Neque hi tantum, sed & quamplurimi alij nobilissimi, atq; Iuris scientiæ studijs præstantissimi viri, IOHANNES ERNESTUS à Deutlöben, Themistei, istius iusticiæ sacrarij & legum asyli præses, & iudex magnificus, IONAS à Doël, Dicasterij Ienensis Assessor. Georgius ab Erfa, illustris, P. nostri Iohannis Ernesti aulæ Magister, & Consiliarius, vir humanitate, virtute, auctoritate verè nobilis, quò quid esse in homine nobili potest aut gratius, aut admirabilius. BALTHASAR, Abel, Bernhardus, Hartmannus, Iohannes Fridericus à VVangenheim, & stirpe antiqua, & sua quisque virtute, pietateq; & rerum plurimarum doctrina atque peritia generosi & potentes, adeò vt quemadmodum L. Metellus per totam vitam à Dijs immortalibus nihil tam fuit precatus, quàm vt optimus Orator summa sapientia vteretur, aut vt Alexander Magnus, ita hi omninò videantur, malle se litteris, quàm diuitijs excellere. Ioh. Hartmannus ab Erfa, Georgij filius, Vuittebergæ proximè superioribus annis præfectus, hodie illustris, P. Luneburgensis & Brunsvicensis Consiliarius. Cum quibus summæ auctoritatis & maxime doctrinæ viros, Iuriscōsultos Pragmaticos coniungo, D. D. Lucam Tangel, quondam Consiliarium Vinarientem, D. Christophorum Durefeldum, Ienæ olim P. Professore, in Salinis Saxonis postea Syndicum clarissimum, D. Ioh. Forsterum, illustrium comitū Schuuartzburg. consiliarium, D. Matthæum Hirschbachiū, generosiss. comitis Nassouiensis Cancellarium magnificum, D. Hieronymum Menium,

Menium, Dicafterij Ienensis, D. Paulum Callenbergium,
 Lipsensis, assessores dignissimos. Rudolphos, Schiferdec-
 ceros, Langenianos, Pregeros, & alios quamplurimos co-
 gor silentio ob temporis angustiam inuoluere. Vnum addo
 Georg. Springinsfeld, qui totā Galliam & Italiam continuis
 peregrinationib⁹ per annos viginti aut circiter peragrauit,
 plura veterum monumenta vidit, quā alius legit, plura p̄-
 terijt, quā alius videnda cōcupiuit: integrum septennium
 confecit ap̄ Cuiacium toto orbe clarissimum Iurisconsultū.
 Prodeant & Medici, Hippocraticæ atq; Galenicæ sanioris
 istius medicinæ peritissimi atq; clarissimi viri, Ioh. Schrote-
 rus, Medicinæ & Philosophiæ Doct. magnific⁹, Academię
 Ienensis alter parens, & Professor primarius, comes Palati-
 nus nobilis, quē Reges & Imperatores obseruârunt, colue-
 runt PP. quem exteri suspexerunt, amârunt sui, omnes fue-
 runt admirati. De quo qui plura volunt, orationē legant de
 eius vita magnificè habitam à clariss. & verè dubito, doctio-
 renè dicam, an humaniore, & in studiosam iuuentutē omnis
 generis officijs promptiore viro Zachar. Brendelio, Philosof-
 phię & medicinę D. celeberrimo, in Academia Ienensi, Ar-
 ristoteleæ Physices P. eximio, & facultatis philosophicæ se-
 niore dignissimo. D. Anto. Iuncker, illustriss. P. Ioh. Vwil-
 helmi Medic⁹ fidiss. quem cum illustriss. P. vnâ cum D. Ioh.
 Pontano secum Ratisbonâ ad comitia anno 70. abduxisset,
 vt si forsan quid aduersæ valetudinis ex itineris difficultate
 colligeret, ita vt sit, vbi tantī Heroēs æstate pegrinantur in
 alieni & inconsueti aëris loco, illā horū cura & industria p̄-
 pulsaret, atq; exinde vltius nihil mali suspicatus Viennam
 Austriæ ad fratrem suum P. nostrum illustrissimum excu-
 risset: factum defubito fuit, vt ibidem D. Iohan. Pontanus
 & itinere suo & vita p̄ter omnium opinionem defungere-
 tur. Qua inopina morte optim⁹ Princeps, & q̄ tum aderant
 Consiliarij eius, animis mirificè deijciuntur, porrecti omnib⁹
 veneni

70
veneni suspicione perculli, stupent, admirantur, dolent im-
prouisum doctissimi viri Fatum: idque tanto vehementius,
quanto à Patria, à suis, à Lutheranis remotiores. Sed quid
facerent? quem reuocare in vitam quamuis illustris, P. in-
credibili pecuniæ vi voluisset, siquidem Regni tenacis Do-
minus, vt Seneca habet, nullam relictos fecit ad superos vi-
am, nec deportare longinquum iter secum in patriam pote-
rant, illum terræ honestissimè demandant sepulturæ, atque
monumentilo loco in templo Prædicatorum à Monachis haud
mediocri sumtu coemto. Ipsi verò iter rectà ingrediuntur,
atque quantum possunt, in patriam expediunt. Quibus pro-
fectis Monachi statim eruunt monumentum, cadauer ho-
nestissimi viri effodiunt, atque in profluentem exonerant &
abijciunt. Tanta in nos Pontificiorum Tyrannis est & ma-
litia: ô perfidiam & barbariem, manus ne à mortuis qui-
dem continere: nec datum & acceptum pacto Sacramen-
tum tantillum vereri: domum reuersi, atque violentum istud
Fatum se euasisse arbitrati, id demum & ipsi experiuntur.
Nam & D. Antonius Luncker eodem morbi genere breui
post, quemadmodum & illustris, P. biennio post miserè in-
terierunt. Ita videlicet Pontificij hospites suos solent beare,
quorum nos tanta pace & securitate ferimus in nostris re-
gionibus ferè dominari. Sed vt reuertar, vnde recessi,
prodeant & reliqui, D. Iustinus Pezoldus, qui patriæ no-
stræ spes & delicia fuit. Zacharias Hopffstock Salueldensis
um, & D. Theodorus Eckenbrechtus Herbipolensium,
medici præstantissimi. D. Henricus Blossius in Stiria, D.
Iohannes Leman, M. Fridericus Möller, Reipub. nostræ
Cos. amplissimus, M. Valentinus Schaner, & græcarum
& latinarum litterarum peritissimus. Super sunt Philosophi
viri vndique docti & præclari, quos & ipsos paucis introdu-
cam, vt planè videatis, P. C. huius scholæ diuinam benedi-
ctionem, qua vt in omnibus facultatibus viri excellentissimi,
ita &

& in Philosophia evaserunt. Ex quibus nonnulli Mathematici, M. Vallentinus Engelhardus, in alma Vuittembergga Professor celeberrimus. Adamus Vrsinus. Multi Philosophi, M. Casparus Arnurus, Academiae Ienensis P. Logicus & Ethicus clarissimus. M. Eusebius Menius, P. V Vittenbergensis, M. Laurentius Loleyus, scholae Stetinensis Rector, M. Andreas Martersteck, generosissimorum Comitum Schuartzburgicorum Praeceptor, M. Vuolfgangus Voglerus, scholae Nörlingensis Rector fidissimus. M. Melchior Gräfenhan, scholae Vinariensis Corrector. Iohannes Lindemannus, scholae patriae Cantor & Musicus industrius. Quidam etiam Poetae, Iohannes Stigelius, cuius doctrina & auctoritate inclyta Salana initio maxime effloruit, quae praeceteris in ipso omnino singularis fuit, adeo ut saepe numero vnus ipse pluris fuerit, quam vniuersa Academia. Vnde Posteris eius memoriam gratis mentibus agnoscunt, venerantur, suspiciunt seculis futuris omnibus praedicandam. Iohannes Schösserus Aemilianus, siue Emlöbianus, nomen honoris & dignitatis plenissimum, hic mira felicitate, dexteritate incredibili Poësin eousq; excoluit, vt merito dubitemus, plus ne ipse Poësi, an Poësis ipsi debeat. Iohannes Engelhardus, Iohannes Holderus, Iohan. Dornheim, & alij. Deniq; non pauci Politici, Iohannes Martinus, illustrissimi Administratoris & Proelectoris Vinariae Secretarius, superiori anno pie defunctus. Antonius Regius, in Municipio Alstadiano Quaestor. Iohannes Fridericus, Molybergensis quaestor. Franciscus, magni illius Francisci Burckhardi filius, illustriss. PP. ac DD. Saxoniae Cancellarij nobilis & magnifici, qui summis difficilimisq; legationibus fuit in Comitijis ad exteros Reges & Principes defunctus. Vnde PP. suis carus, toti Regioni acceptus, exteris omnibus admirationi. In omnibus actionibus eius tanta fuit virtus, moderataq; & expedita rerum tractandarum

F dextera

20
dexteritas, vt non modò apud suos gratia iure floureret, sed
& summis etiam suæ memoriæ Monarchis Carolo V. hu-
iusq; fratri & successori Ferdinando, Imperatoribus, Fran-
cisco item & Heinrico, Gallia Regibus gratus esset & ac-
ceptus. Ab Heinrico quidem VIII. Rege Angliæ, tam
amicè habitus, vt neminè exterorum in familiare colloqui-
um admitteret ille libentiùs, multaq; de huius viri admonitu
in regni statu cùm emendaret, tum moderaretur. Conra-
dus Schinkopff, Reipub. nostræ Consul dignissimus. Pau-
lus Vuachsmuth, Cos. Inacensis, Cos. Reipub. Arnstadi-
anæ Hieronymus Richter, Henricus Vuigleb Cos. Den-
stadianus, Ordruiianus Iohannes Zorn, Melchior Schmid
M. & Cos. Iohannes Zinck Cos. M. Iohannes Langen-
han, Scriba publicus Greusenæ. Erasmus Poppo, Christo-
phorus Hirschbach, Michaël Langenhan, Iohannes Dun-
ckel, Reipublicæ nostræ Senatores prudentissimi: Sed il-
lorum omniũ nomina, qui ex hac Schola ad laudabilẽ aliq; frugem
peruenerunt, si aggrederer ita enumeranda, quæ
admodum mente & animo concepta habeo, atq; in hunc
dignitatis locum effunderem, dies me citius, quàm vox de-
ficeret, neq; illud ipsum vestrorum negotiorum ratio pate-
retur. Vnum tamen atq; alterum adhuc silentio præterire
non possum: Iohannem, Stephanum, Henricum Kolbi-
os, qui ex remotissimis terræ locis ex confluentijs huc flu-
xerant. Vuernerum Feyerer, illustris. P. nostri Musicum
quendam primarium, cum quo hic ipse post fatalem atri istius
belli cladem sua sponte, & ea ipsa fidelitate, qua suũ erga
Principem homo probus & pius erat, in Austriam fuit pro-
fectus, ibi nescio quo benigno & clementi Fato breui post
factum fuit, vt Laubachium vocaretur, ad Cantoris munere
defungendum. Quod cum aliquandiu summa cum laude &
dexteritate subijisset, tandem ab Imperatore Maximiliano
inuidiosissimo nobilis insignia, suæ videlicet artis præmia, &
munus

96

munus virtutis accepit, atq; nobilitatus, in Vngaria factus
fuit Munitiois cuiusdam Præfectus. Benignum, ita me
Musica amet, Musici Fatum, quod si talia omnium, ipse
Musicus mallet esse, quàm nescio quisquam alius. Usque
adeò Deus fidelia seruorum ministeria non potest non tan-
dem aliquando tanto cum scœnore remunerari, modò susti-
neant, & Fata sua æquis animis, sine indignatione & stoma-
cho perdurent.

Multos recensui, auditores, plures præterij, qui omnes
altricem & alumnam suam gratis animis hanc scholam & ci-
uitatem colunt atq; suspiciunt. Et quemadmodum Mam-
bre & Memphia primas illas Synagogas Patriarchæ, in
quibus aliquot seculorum ætatibus hospitium & collegium
habuerant, honoris & gratos animos declarandi causa do-
ctrinæ & litterarum ciuitates indigitârunt: Berythum,
Phœnicia vrbem florentissimam Legum nutricem Iuris-
consulti, vniuersæ doctrinæ pulcerrimam officinam Ale-
xandriam Medici, cuius tanta celebritas fuit, vt Medicis ad
commendandam artis & doctrinæ auctoritatem sufficeret,
si Alexandria se eruditos fuisse dicerent, Athenas *ἡμετέρας*
ἡμετέρας Philosophi perpetuò salutârunt: ita qui ex hac Scho-
la aliquando egressi sunt, suæ eam pietatis fundatricæ Theo-
logi, nutricem Iurisconsulti, Medici alumnam, suæ virtutis
parentem, & Magistram Philosophi agnoscunt, habent, ve-
nerantur, idq; tantò maiori reuerentia, honore, gratia, quan-
tò primam institutionem ex Quinctiliano potiozem reli-
quis omnibus nôrunt esse, & quantò minus in fronte pro-
mittit, tantò plus in recessu habere. O igitur laudabilē scho-
lam hanc, ô felicem tam numerosæ & præclare sobolis parē-
tem, quid aut carius tibi aut antiquus esse ex omnibus mundi
thesauris potest, quàm tuâ ipsius sobolem, quàm tot tantisq;
sudoribus, molestijs, doloribus, & cum vitæ sæpenumero
piculo peperisti, inter tot aduersitates claruisse, & etiãnum

20
clarere? quid maius aut ornatius, quam nomen tuum à lau-
datissimis quibusque hominibus per totam Germaniam ho-
nore & gloria efferri? O Dei verò immensam & inexplic-
abilem misericordiam, qua hanc tam clementer aspexit,
parturientis misertus, largitus vires & robur, inter tot tan-
tasque incendij, pestis, belli agritudines & perturbationes
miseram & inopem periculosissime inuadentes, quotidie
parturientem: Tua, Iesu Christe, hæc vnius gratia, huius tu
ipse solus auctor es & perfector, tibi scholæ huius originē,
tibi progressum & conseruationem vni debemus.

Nihil hoc loco de ijs dico, P. C. qui hisce proximis an-
nis ex hac eadem sese in clarissimas quasque Academias haud
exiguo numero effuderunt: quosdam Vuitteberga susce-
pit, nonnullos Iulia, alios Lipsia, partim Argentoratum,
maximam partem Salana suo quasi sinu excepit, amplissimi
Senatus nostri Stipendijs & fouendos, & suorum parentum
sumtibus erudiendos. De quibus amplissima nobis omni-
bus concepta spes, quam non fallat, quam crescat, quam
indies adaugeatur, plurima argumenta sese exerentis virtua-
tis, & paulò post euidentissima exempla edituræ ostendunt.
Nihil de huius frequentissimæ & ornatissimæ iuuentutis &
mihi & vobis latissime concitata expectatione. Alios Din-
ckelios habemus, Durfeldos alios, alios Pezoldos, Engel-
hardos alios, alios verè Stigelios & Aemilianos, alios denique
Martinos, alios Burchardos, alios Paulos, alios Hiero-
nymos: quibus omnibus, vt similes aliquando, optimi &
dilectissimi iuuenes, adolescentes & pueri, euadatis, & hos
quos nomine, vos re exprimitis, ipsi quod vestrum est faz-
cere, nos quod nostrum, quotidie debemus, & suum Sena-
tus nostrum, & Deus, quod suæ incredibilis miserationis &
gratiæ est, in nos coelitus effundet. Solus enim is est, qui de
Spiritus sancti auxilio & presidio humillimis votis suspirans

tes

tes nescit deserere. Vos quidem, Adolescentes, mea enim vos compellat Oratio, qui instar Aristophanæi Strepsiadis amplius non estis, Iouem pluentem existimantis *Ἰσὶ κορυφῆς ὄρεϊ*, per magnum aliquod cribrum meiere, pietatem, qua vel secundum Ethnicum nulla vis maior, omni socordia & segnicie abiecta, colere deuotè debetis: Doctrinæ & litterarum studia, vt Demosthenes, amare: Lectiones tanta cura visere, quanta D. Hieronymus & Euclides. Præceptores more Alexandri vereri, præteritis & Maiorum vestrorum moribus viuere, quod apud Gellium Fauorinus adolescentem iubet. Quid enim, quæso vos adolescentes, turpius, quàm scholasticum sacra fugere, negligere, aut præsentem eadem nugis eludere? quid præsentius ad nominis & famæ naufragium, quàm alto supercilio præ inani persuasione studia aut contemnere, aut negligenter tractare? quid magis contra Naturam, quàm Præceptoribus resistere & tergiversari? quid leuius, quàm omnis generis morum & vestium nouitates omni impetu ferri? Scipionem Africanum, quod ad Iouis Capitolini sacra prius, quàm ad sua negotia accesserit. P. Crinitus laudat Theagenen, quod in Pancratio pugillatione & decurlione neminem passus fuerit se præsentem vincere, Plutarchus: Suetonius C. Iulium Casarem prius domum se rediturum matri suæ negantem, quàm SS. Pontifex esset factus. Leonibus Plinius secundus inquit, manus Magister inserit, Tigrim suus custos osculatur, Delphinus puero assuescit, Elephanto, isti animalium monstro maximo Cicero prudentiam attribuit, humanis sensibus proximum Plinius dicit, adeo vt non tantum Græcas literas pingere discat, sed & per funes aduersum & pronum ambulare: Et, quod maximum, Aelianus refert, ad humanum & vernaculum sermonem eundem institui. Vnde Curator Seruas ipsum verborum pharmaco lenit furentem, ociantem laudibus excitat, & blandis verbis ad quæ-

F 3

cung

scrib



50
cunq; subeunda adducit. O ineffabilem belluarū naturam,
ô Ethnicorum pietatem, modestiam, & in rebus omnibus
peragendis indefessum studiū, nunquam non litteris &
linguis laudatum. Econtra, ô Iuuenum nonnullorum, qui
Scholastici, qui homines, qui Christiani plusquā bellu-
nam feritatem, ô impietatem vel Ethnicis indignam, ô ves-
tium leuitatē vel in barbaris reprehendendā, pudeat istos,
pudeat, immò confundat, se Ethnicis esse multò inferiores.
Egregia verò laus ista, illa instar machinæ alicuius anima-
lia ad omnis generis ministeria subeunda institui, scholasti-
cos verò, homines illos liberales, ad sua facienda ne cogi
quidem posse, illa verbis ducuntur: hi nec verberibus, illa
ad eorum, quæ didicerunt, memoriam, hi nec ad sensum, il-
la à fœditate aliqua increpando, hi à turpissimis voluptati-
bus ne vapulando quidem detinentur. Quousque, Adoles-
centes, vestra illa temeritate vtimini? quousq; florida illa
ætate, præceptoribus, parentum sudoribus abutimini? Si
ad legum, ad disciplinæ nostræ præscriptum viuere aut non
vultis, aut non potestis, proficiscimini, patent fores, ex-
currite per omnes mundi plagas, si forsan vestræ petulan-
tiæ locum inueniatis: exite, frugaliore redibunt: præstat
vel vnum probum habere, quā improbos infinitos. Si
ingeniorum & libidinum vitio discendo nihil proficere po-
testis, ne hîc etiam ociemini. Resipiscite tandem aliquan-
do, & ad frugem redite, ne Dei gratiam, Præceptorum be-
neuolentiam, & benedictionem parentum prorsus effun-
datis. Inprimis verò, quantum potestis, Adolescentes, et-
iam atq; etiam caute, ne vlllo modo vel hoc vel superius au-
ditorium contemeretis, manus ab Exedra hac continete, à
parietibus petulantia cohercete, libidinē à columnis, à sub-
sellis impetus, à mensis subuersionem cohibete, omnem
deniq; loci huius sanctissimi modestia vestra facite quā lon-
gissimè abesse profanationem, non tam Præceptorum in-
dignas

dignationem & grauissimas poenas veriti, quam iustum Dei iudicium omnibus profanis temerarijsq; expectandum. Iosachimus Camerarius in Nicephori Chronologiam scribit, Gennadij tempore Episcopi Bizantini, pictorem quendam Iouis simulacro tribuisse eam formam, qua effingi imago Christi solebat. Quae imago, quamuis alijs verior habita fuerit, manum tamen pictoris opere perfecto statim propter profanationem exaruisse: ita periculum omnino est, ne similem poenam Deus illis infligat, quicumq; hunc locum profanarint. Facite quod pietatis est, modestiae, officioli vestri, & dubium omnino nullum est, quin aliquando ad multo maiora sitis, quam antecessores vestri, ex hac eadem palestra peruenturi. Diuinum siquidem auxilium praesto ijs est, qui fortiter pugnant, & ijs, qui omnes suas vires omni animi alacritate exerunt, vt victoriam adipiscantur, non ijs qui labores fugiunt, sed ijs, qui pro salute periculum perpeti non dubitant.

Praeceptores vero perpetuis vigilijs & lucubrationibus studia iuuentutis exemplo Pici Mirandulae, vnde Phoenicis cognomen adeptus fuit, foueant, alant eloquentia, vt Virginius, vt Musoni praeceptis sapientiae promoueant. Nec res priuatas potius, quam publicum scholae commodum cogitent, aut nihili vel minus ducant horulam neglexisse, quam ad quod Deus subirascat. Vae illi, qui facit opus Domini fraudulenter. In primis vero Rector pietatis, modestiae, diligentiae esse exemplum debet, in quod tanquam speculum collegae quotidie intueantur. Hic enim, vt Rudolphus Agricola ad lac. Barbarianum scribit, si negligens fuerit, quis tandem ministrorum erit diligens? quasi vero cum is ipse, cuius negotium geritur, curam atq; operam laxauerit, alius, cui licet etiam eius periculo segne esse, sit vigilantius partes suas executurus. Cauere vero omni studio omnes debent, ne quid in tenellam iuuentutem, vel quemquam grauius, quam pro aetate aut delicto

status



88
statuant. In puerorum, inquit Dion, vitam non exacte in-
quirimus, sed multa dissimulare necesse habemus, quippe
quod mediocria delicta non extremis sint plectenda suppli-
cijs, sed leniter castiganda. Cædi pueri animo paterno pos-
sunt, quod à Chrysippo olim, & hodie à scholis ferè rece-
ptum est. De iuuenibus verò Quinctiliani auctoritate ad-
modum ambigendum, quia deforme ac seruire est, & certè
quod conuenit, si ætatem mutes, iniuria. Deinde si cui est
mens tam illiberalis, vt obiurgatione non corrigatur, is et-
iam ad plagas, vt pessima quæq; mancipia, durabitur. De-
niq; cum paruulum verberibus coegeris, quid facias iuueni,
cui nec adhiberi potest hic metus, & maiora discenda? Ad-
de quod multa vapulantibus deformia, & mox verecundiæ
futura sæpe dolore vel metu accidunt, qui pudor refringit
animum, & abiicit atq; ipsius lucis fugam & tædium dicta-
tat. Ipsi deniq; inuicem amicitiam, fraternitatem colere at-
que concordiam debent: non imperare singuli velint, sed
partim etiam sciant, suo Rectori obedire. Græciæ ciuita-
tes dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes per-
diderunt. Postremò Senatus, nutritores nostri amplissimi,
suo nos præsidio & subsidio tueri & deinceps debent, nos-
tram apud sese aliquam esse auctoritatem non tantum pati-
antur, verumetiam vt apud alios sit, suo exemplo faciant.
In tanto olim pretio apud Mecœnatem Equitem Hetruscū
litterati & Poëtæ quicq; sapientissimi in aula Imperatoris
Augusti non fuissent, nisi ipse Augustus caros illos omnino
habuisset: nec apud populum Romanum in honore pæda-
gogia, nisi hæc summo studio Senatus ipse coluisset. Aelius
Hadrianus, cum libertum suum aliquando inter duos litte-
ratos medium ambulantem conspexisset, aulicum quendam
ablegauit, qui illius impudentiam Colapho infractio com-
primeret, & insuper adderet: noli impudens inter eos am-
bulare, quorum esse seruus adhuc poteras.

Tandem,

Tandem, vt extremum quid habeat mea Oratio, æter-
 ne Deus Pater, Fili & Sp. sancte, tibi summo & præpoten-
 tissimo Gymnasiarche gratias agimus immortales, cum pro
 alijs omnibus ijsq; maximis in nos hactenus collatis benefi-
 cijs, tum verò inprimis p benignissima ista Ecclesiæ, Scho-
 læ, Reipubl. nostræ conseruatione & tutela, cui & Magis-
 tratus pios, & patronos benignos, & Doctores verè Lu-
 theranos fuisti hucusq; largitus. Te veneramur atq; suspici-
 mus, te colimus, atq; obtestamur in facies, & genua nostra
 ante pedes tuos prouoluti, velis propter immensam boni-
 tatem & misericordiam tuam Scholam hanc non D. Augu-
 stino, sed tibi, sed nomini & glorię tuæ innouatam atq; re-
 stauratam Ecclesiam & Rempubicā ab omni omnium ho-
 stium, inprimis à vastatrice sauiissimorum Turcarum bar-
 barie incursione & impetu sartam tectam clementissimè
 conseruare, nec sinere, in tot tantisq; opinionum & erro-
 rum turbellis lucem veritatis cœlestis, & doctrinæ salutaris,
 honestæq; disciplinæ extingui aut debilitari. Misericordi-
 sine Deus, conserua quesumus inexhaustæ bonitatis gratia
 Patriæ Patres, Scholæ & Ecclesiæ nutritores, PP. nostros
 illustrissimos, tua virtute animos illorum firma, robore susti-
 ne, vt illustris, Parentis sui Fatum heroïca fortitudine fe-
 rant, & diuinitus immissum agnoscant, quo ex perenni cap-
 tiuitate in sempiternam libertatem sanctissimè excessit, vbi
 festiuitas sine fine est, æternitas sine labe, sine nube serenitas,
 sanitas sine infirmitate, sine deformitate pulcritudo, iu-
 cunditas sine mœrore, sine errore sapientia, lux sine tene-
 bris, dies sine nocte, libertas sine seruitute, sine morte de-
 nique vita. Conserua Ecclesiæ Doctores, Scholæ Præcepto-
 res gubernas, protege iuuentutem, & rege nos singulos san-
 cto tuo nomine, quo & grata tibi, & Reipubl. nostræ utilia,
 adeoq; ciuitati & toti hominum societati, nobis deniq; om-
 nibus

G

nibus

20
nibus salutaria & dicamus & faciamus, qui es vnus & so-
lus DEVS perpetua laude celebran-
dus seculis infinitis,
Amen.



GRATIARVM ACTIO
PRO CONSERVATA, PRO
conseruanda Schola Gotthana
Precatio,

RECTORIS,

Magna res, sacras viguisse MVSAS
Haectenus sub tot rabidos tumultus
Orbis extremi, sitiente diro
Dira Dracone.

CHRiste, te nostra Duce floruerunt,
Inter infesta galeas, & iras
Palladis tristes, fluidasq; clades
Pestis & ignis.

In tui flatu, vegetoq; fatus
Spiritus sancti capita examussim
Vt Catechismi pueri, dedisti,
Tradita scirent.

Quasi-

100
Quaesumus Patris soboles benigna,
Omnibus saeculis, facias, futuris
Posteris GOTthæ parili vigere

Numine Musas.

Hæc Scholæ soli Tibi sunt theatra
Facta, quin soli tibi sunt refecta,
His propagati, tibi grata soli

Munera gestent.

Ergò tu profer viridem Iuuenta
Indolem, tuq; ò bone Christe, Patri
Fac sit acceptum pueri, & puelli

Quod pia discunt.

F I N I S.



100

Handwritten blue ink scribbles

Handwritten blue ink scribbles

Quasi non tunc solent benigni
 Omnia facta. Tunc patris
 Postquam de hoc mundo dixerit
 Haec ubi tibi sunt spectas
 Eadem quae solent tibi spectas
 Haec propagant, tibi gratia sola
 Minerva gessent.
 Et nota propter vitiosas iuventus
 Inchoat, sed o bone Christus, Patris
 Fac si acceptum fuerit, & puelle
 Quod pia dixerunt.

F I N I S



Handwritten blue ink mark



Pon Yb 1738, Qu

ULB Halle
004 703 219


3



f







B.I.G.

Farbkarte #13

B. K. 127, 15.

Yb
1738

ORATIO
FACTA

IN SOLENNEM
RESTAVRATÆ
SCHOLAE GOTTHA-
næ inaugurationem:

DE EIVSDEM

CVM ORIGINE, PRO-
GRESSV, CONSERVATIONE ET
innouatione: tum verò inprimis R E C T O R I B V S
atq; præclaris viris, qui ex ea intra annos LXX.
quamplurimi prodierunt:

A

M. ANDREA VVILCKIO,
Rectore, III. Non. IXbrum, Anno
Christi M. D. XCV.

Excusa Smalcaldiæ,
1 5 9 6.

